De Consulari Denario Gentis Metiliæ.

Ad Serenissimum Principem

CAROL. AMBROSIVM ARCHID. AVSTR.

Archiep. Strigon. et R. Hung. Primatem.

Inter anecdota cimelia Musei *Tui* SER. PRINCEPS, quorum inspectioni me peramanter accersisti, & quæ publicam lucem expectant, non mediocri me gaudio affecit denarius ille gentis Metiliæ, qui in iconismis Mus. Cæsarei delineatus quidem ab Eckhelio sistitur, sed pagina 76. Catalogi ejusdem incertus dicitur.

Caput Jovis barbatum laureatum sinistrorsum)(CROT, Victoria sinistrorsum stans dextra coronam trophæo imponit, infra ROMA.

Genti Metiliæ victoriatum hunc ex nota Livii auctoritate merito adserere *Te* posse gratulor, quum cl. antiquarium Barth. Borghesium Sabinianensem exemplaris similis possessorem idem *Tecum* sentire noverim.

Patavinum primo testimonium recitemus: si quæ deinde velint objici difficultates nullo eas negotio expediemus. *Ad veterem exercitum accipiendum* (sic habet Lib. XXIII. §. 31.) *deducendumque in Siciliam* T. METILIVS CROTO *ab Appio Claudio missus est.*

Sed qua lege, nonnulli forte obviabunt, Metilius hic in jus rei monetariæ involavit?

Quæstioni huic satisfacere pronum est. Præter enim quam quod plures Familiæ in Consularium serie locum obtinent, quorum nomina reticentibus historicis vix e numis ipsis innotuerunt, ut v. gr. Accoleja, Fabrinia, Itia, Renia &c. adsunt aliæ bene multæ, quæ honorem istum unico functæ Legationis titulo abstulerunt. Ex Romanis civibus, quorum numi hunc eundem Magistratum fatentur, prodeunt M. EPPIVS LEG. legatus Scipionis in bello Africano — Q. PAQVIVS LEG. M. Antonii in Gallia — COSTA LEG. M. Bruti in bello civili. Qui dignitatem dissimulant sunt multo plures; *Licin. Crassus Junianus*, qui fuit Metelli legatus — *L. Statius Murcus* Julii Cæsaris — *Canidius* ac *P. Ventidius* M. Antonii — *C. Flavius Hemic, ac M. Servilius* Bruti & Cassii — *P. Carisius, & Corn. Balbus* Octaviani Augusti — Denique *Bæbius Tampilus* a Senatu ad Pœnos legatus, ut cum iis de oppugnato injuste Sagunto expostularet. *Tampilum* ad cæterorum coronidem singulariter laudo, quum ejus Victoriatus sive typum spectes, sive fabricam, sive ætatem idem omnino, mutato nomine, cum nostro sit.

Nec

Nec momentum faceſſat elemento vix uno curta epigraphe CROT; parcior enim eſſe conſuevit antiquioris monetæ loquela, quæ ſerius ad luxuriem uſque defluxit. Nomina illa a primoribus typariis quaſi in ænigmate convelabantur, quod Romanam libertatem vellicaret in poteſtatis publicæ monumento memoriam privatam inferri. Exemplo ſunto AP ſcriptum pro Gente Appuleja — CA pro Cariſia — ME pro Cæcilia &c. Quinetiam prima nominis elementa arctiſſimo nexu interdum contrahebantur, quorum ſeverius complexa reſtant AVFidii, AVTRonii, CARBonis, TAMPili &c. Quidni ergo ſufficiant ordinatim conſequentes literæ CROT, ut ex illis (Metilius) CROTo exurgat?

Quando tamen, vel a quonam ex ſucceſſoribus T. Metilii noſtri editus fuerit hicce denarius, in rem inquirere neque facile, neque neceſſarium duco. *Quinam cudi juſſerit denarium familiæ Marciæ inſcriptum CENSOrinus, incertum eſt,* ait Eckhel Doctr. Tomo V. *Quis fuerit ex poſteris, qui denarium familiæ Horatiæ inſcriptum* COCLES *faciendum curavit, divinari nequit.* Rationi omnino conſonum eſt nomina illa a filiis vel nepotibus avitæ famæ præconibus monetæ conſignari cœpiſſe, ſicuti de laudato *Gentis Bæbiæ* victoriato, qui Metiliano forte coævus eſt, conjicere non dubitavit idem author inſignis; *Numus Q. Bæbii Tampili, qui ſatis remotam antiquitatem ſpirat, ab ejus filio Marco Conſule cuſus videtur.*

Cum nullis aliis impedimentis laboret ſententia *Tua SER. PRINCEPS* ſalvum *Tibi* manet jus novi nominis in Denariorum Conſularium ſeriem invehendi, id quod in peculiari hac claſſe fere prodigium æquat. E Cæſaribus enim uſque modo ignotis gaviſi ſunt nonnulli SPONSIANum IMPeratorem ſe nactos fuiſſe: Ex Auguſtabus ARIADNEM largitus eſt Avellinus: Ex Regibus LEVCONEM protulit Mionnetus: Ex Populis CAIATINVM dat Muſeum Witzai mei: at novam Familiam nuper e tenebris eduxiſſe unicum eſt; effuſis enim ſemel Golzianis cornucopiis, atque Urſini, Patini, Vaillantii, Morellii, Spanhemii ſudoribus exhauſtis, nulla ad id amplius ſequiorum numophilorum conamina valuerunt.

Fruere igitur *SER. PRINCEPS Tua* bona fortuna, atque hæc vere regia *adoleſcentiæ ornamenta*, ut ea Tullius vocat, tam auſpicatis ominibus ſuſcepta venerandæ antiquitatis emolumento, & excelſæ dignitatis *Tuæ* decori indeſinenter excolito.

Dab. Nonis Martii An. Sal. MDCCCVIIII.

Ex Collegio Barnabitarum S. Michaëlis Viennæ
Obſequentiſſ. Felix Caronnus Cl. Reg. Barnabita Modoetienſis.

Nec momentum facessat elemento vix uno curta epigraphe CROT; parcior enim esse consuevit antiquioris monetæ loquela, quæ serius ad luxuriem usque defluxit. Nomina illa a primoribus typariis quasi in ænigmate convelabantur, quod Romanam libertatem vellicaret in potestatis publicæ monumento memoriam privatam inferri. Exemplo sunto AP scriptum pro Gente Appuleja — CA pro Carisia — ME pro Cæcilia &c. Quinetiam prima nominis elementa arctissimo nexu interdum contrahebantur, quorum severius complexa restant AVFidii, AVTRonii, CARBonis, TAMPili &c. Quidni ergo sufficiant ordinatim consequentes literæ CROT, ut ex illis (METILIUS) CROTo exurgat?

Quando tamen, vel a quonam ex successoribus T. METILII nostri editus fuerit hicce denarius, in rem inquirere neque facile, neque necessarium duco. *Quinam cudi jusserit denarium familiæ Marciæ inscriptum CENSOrinus, incertum est,* ait Eckhel Doctr. Tomo V. *Quis fuerit ex posteris, qui denarium familiæ Horatiæ inscriptum* COCLES *faciendum curavit, divinari nequit.* Rationi omnino consonum est nomina illa a filiis vel nepotibus avitæ famæ præconibus monetæ consignari cœpisse, sicuti de laudato *Gentis Bæbiæ* victoriato, qui Metiliano forte coævus est, conjicere non dubitavit idem author insignis; *Numus Q. Bæbii Tampili, qui satis remotam antiquitatem spirat, ab ejus filio Marco Consule cusus videtur.*

Cum nullis aliis impedimentis laboret sententia *Tua SER. PRINCEPS* salvum *Tibi* manet jus novi nominis in Denariorum Consularium seriem invehendi, id quod in peculiari hac classe fere prodigium æquat. E Cæsaribus enim usque modo ignotis gavisi sunt nonnulli SPONSIANum IMPeratorem se nactos fuisse: Ex Augustabus ARIADNEM largitus est Avellinus: Ex Regibus LEVCONEM protulit Mionnetus: Ex Populis CAIATINVM dat Museum Witzai mei: at novam Familiam nuper e tenebris eduxisse unicum est; effusis enim semel Golzianis cornucopiis, atque Ursini, Patini, Vaillantii, Morellii, Spanhemii sudoribus exhaustis, nulla ad id amplius sequiorum numophilorum conamina valuerunt.

Fruere igitur *SER. PRINCEPS Tua* bona fortuna, atque hæc vere regia *adolescentiæ ornamenta*, ut ea Tullius vocat, tam auspicatis ominibus suscepta venerandæ antiquitatis emolumento, & excelsæ dignitatis *Tuæ* decori indesinenter excolito.

Dab. Nonis Martii An. Sal. MDCCCVIIII.

Ex Collegio Barnabitarum S. Michaëlis Viennæ
Obsequentiss. Felix Caronnus Cl. Reg. Barnabita Modoetiensis.